

Disquisitiones nonnullae angiologicae : dissertatio quam auctoritate gratiosi medicorum ordinis ut professionem medicam extraordinariam in Universitate Literaria Vratislaviensi rite auspicatus habeatur scripsit dieque XVII. mensis Februarii anni MDCCCXXX / publice defendet Joannes Barkowius ; assumpto socio Carolo Klosio.

Contributors

Barkow, Hans Carl Leopold, 1798-1873.
Klose, Carl Ludwig, 1791-1863.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Vratislaviae : Typis August Brehmer et Minuth, [1830]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e8zgumj9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16
DISQUISITIONES NONNULLAE ANGIOLOGICAE.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

UT

PROFESSIONEM MEDICAM EXTRAORDINARIAM

IN

UNIVERSITATE LITERARIA VRATISLAVIENSI

RITE AUSPICATUS HABEATUR

SCRIPSIT

DIEQUE XVII. MENSIS FEBRUARII ANNI MDCCCXXX

PUBLICE DEFENDET

JOANNES BARKOWIUS.

ASSUMPTO SOCIO

CAROLO KLOSIO MED. CAND.

VRATISLAVIAE

TYPIS AUGUST BREHMER ET MINUTH.

Caput I.

Descriptiones anatomicae.

§. 1.

Arterias organorum chylopoeticorum Ovis arietis bis cera implevi. In ove prima arteria coeliaca emisso ramo epiploico magno, in ramos binos aequae fortis finditur, quorum alter arteria gastrolienalis ventriculo lienique, alter arteria gastrohepatica ventriculo, hepati, pancreati, duodenoque ramos impertit.

Arteria gastrolienalis sequente ordine emittit arteriam ingluviei anteriorem, ramos lienales tres, et deinde in arteriam ingluviei posteriorem continuatur. Arteria ingluviei anterior prope latus cordiae sinistrum ad superficiem ventriculi anteriorem in strictura partem ingluviei dextram mediamque separante pervenit, et in ea descendens ramos ad latus dextrum sinistrumque edit.

Arteria ingluviei posterior, arteriae gastrolienalis continuatio, in strictura ingluviei partem sinistram mediamque separante descendit, in margine verum ingluviei inferiore nondum finitur, sed ad ejus superficiem anteriorem reflectitur, ibique ramos complures admodum magnos locisque compluribus ramis arteriae ingluviei anterioris junctos edit.

Disquisitiones hac continuationem et supplementum disquisitionum circa originem et decursum arteriarum mammalium a me editarum exhibent. —

Arteria gastrohepatica primum ramum emittit valde fortem qui inter ingluviem et reticulum in superficie ventriculi posteriore descendit simulque ingluviei reticuloque ramos impertit, arteriam deinde ramo primo fortiorem, continuatione arteriae gastrohepaticae tamen debiliorem, quae pollices fere duos longa ad latus dextrum decurrit, et in ramos tres dividitur.

Ramus primus sive hepaticus dexter arteriam emittit cysticam et deinde in portam hepatis intrat.

Ramus secundus s. arteria gastroduodenalis arterias complures pancreati impertit, arteriam emittit debilem prope duodenum adscendentem infra pylorum verum finitam, pancreati deinde iterum ramos impertit et in arteriam minorem s. pancreaticoduodenalem et majorem s. gastroepiploicam dextram s. arteriam dextram arcus abomasi majoris finditur. Arteria pancreaticoduodenalis prope pancreatis caput descendit ramoque arteriae mesentericae anterioris juncta arcum constituit. Arteria arcus majoris abomasi dextra prope marginem duodeni liberum ad pylorum adscendit, arteriaeque arcus majoris abomasi sinistrae jungitur.

Ramus tertius s. arteria hepaticopylorica in ramum hepaticum sinistrum arteriamque pyloricam dividitur. Arteria pylorica s. art. arcus minoris abomasi dextra prope marginem duodeni pancreatis caput excipientem ad pylorum adscendit, arteriaeque arcus minoris abomasi sinistrae unitur.

Arteriae gastrohepaticae continuatio quae arteriae gastricae propriae nomine nunc insigniri potest, ad latus dextrum progreditur et mox in arterias tres, inferiorem scilicet, posteriorem, et anteriorem dividitur.

1) Arteria posterior pollicem fere longa in ramos binos arteriam posteriorem reticuli arteriamque superficiei posterioris centipellionis dividitur.

Arteria superficiei posterioris reticuli prope latus cardia dextrum in parte media superficiei posterioris reticuli descendit, ramos multos magnosque ad latera spargit, et infra marginem reticuli inferiorem ad ejus superficiem anteriorem reflectitur.

Arteria superficiei posterioris centipellionis in parte media superficiei posterioris centipellionis a latere sinistro ad latus dextrum decurrit, ramos permultos ad partem superiorem inferioremque emittit, tandemque arteriae a latere dextro sibi occurrenti unitur.

2) Arteria anterior emissis ramis nonnullis ad partem ingluviei dextram ramoque insigni ad reticulum, in ramos tres dividitur, arteriam scilicet arcus majoris sinistram, arteriam partis dimidiaie sinistrae superficier posterioris, et anterioris abomasi.

Arteria arcus majoris abomasi sinistra s. arteria gastroepiploica sinistra ad pylorum usque progreditur, ramos epiploicos multos magnosque emittit, arteriaeque arcus majoris abomasi dextrae unitur. Arteriae superficierum abomasi ramos emittunt plicis tunicae internaie partis dimidiaie sinistrae destinatas.

3) Arteria inferior emissas arteria magna superficier anterioris centipellionis, margini centipellionis libero adhaerens ad arcum minorem usque abomasi decurrit, et emissis inter finem centipellionis initiumque abomasi ramis permultis ad finem centipellionis dextrum, arteriam edit superficier anterioris partis dimidiaie dextrae abomasi, et in arteriam superficier posterioris partis dimidiaie dextrae abomasi arteriamque sinistram arcus abomasi minoris finditur.

Arteria superficier anterioris centipellionis in hujus parte media ad latus dextrum decurrit arteriaeque sibi occurrenti unitur. Arteriae inferioris pars margini centipellionis libero adhaerens hujus superficieribus ramos permultos impertit; eorum viginti superficiem centipellionis posteriorem adeuntes numeravi; superficiem anteriorem talem ramorum numerum adire non vidi; fors quia haud adeo bene cera impleti fuere. Arteriae superficierum partis dimidiaie dextrae abomasi arterias edunt a latere dextro ad latus sinistrum recurrentes, arteriisque superficierum centipellionis unitas, nec non ramos plicis partis dimidiaie dextrae abomasi destinatos. Plica abomasi quaeque ramum plerumque arteriosum proprium recipit, qui tamen neque eodem semper modo oritur neque decurrit. Interdum enim plica ramos binos recipit, interdum rami plicarum separatim, interdum rami complures trunco communi dein fissio ex arteria superficier prodeunt. Arteria sinistra arcus abomasi minoris arteriae hujus arcus dextrae juncta arcum constituit.

Arteria mesenterica anterior fortissima emissis ramis nonnullis pancreaticis duodenalibusque, quorum alter cum ramo descendente arteriae gastroduodenalis arcum constituit, pollicis fere unius ab origine distantia arteriam colicam magnam et deinde inter laminas mesenterii decurrens ramos mesaraicos sedecim edit, quorum priores quatuor proxime sibi appositi, caeteri distantia pol-

licis unius vel unius et dimidii ex arteria oriuntur. Rami mesaraici antequam arcus intestino tenui destinatos formant arterias complures edunt ad eam intestini coli partem, quae parte mesenterii cum intestino tenui simul columnae vertebrali adfigitur. *) Arteria colica magna parti majori intestini coli ramos impertit, arteriamque emittit coecalem ad intestini coeci usque finem decurrentem, ramoque mesaraico junctam. **)

In ove secunda eodem fere modo ac in prima arterias oriri et decurrere vidi. Ramus tamen epiploicus primus arteriae coeliacae deest, ramorumque trium loco arteria lienalis simplex in ramum superiorem et inferiorem bifida ex arteria gastrolienali prodit.

Arteria mesenterica posterior in ove prima uti a Gurltio ***) descripta est valde debilis paulo ante arteriarum cruralium originem, in ove secunda cum arteriis cruralibus simul ex aorta prodit.

§. 2.

Arterias Leporis cuniculi novies cera implere tentavi. In animalibus duobus aortae ruptura facta, materieque ceracea in thoracis cavum effusa, arterias persequi non potui, in animalibus reliquis arterias plurimas quidem numquam tamen ad earum usque ultimum finem, arterias ventriculi in animalibus tantum tribus cera implere mihi contigit.

In cuniculo primo arteriae thyreoideae inferiores nullae, nullaque arteria thyreoidea superior dextra adsunt; arteria tamen thyreoidea superior sinistra magna lineas novem ante arteriae carotidis internae originem e carotide communi prodit, et emissio ramo insigni ad lobum glandulae thyreoideae sinistram

*) Confer. Gurlt, Handbuch der vergleichenden Anatomie der Haussäugethiere. Bd. 2. 1822. 8. p. 57. Pars haec intestini coli valde angusta stricturis plurimis gaudens decursum arteriae mesentericae anterioris arcuatum comitatur, faecibusque formam propriam impertit.

**) Juncturam hanc arteriae coecalis ramique mesaraici distincte quidem vidi, ab accuratiore ejus descriptione tamen me abstineo cum ramos ultimos arteriae coecalis, mesaraicosque ultimos neque cera implere, neque satis bene ob animalium a me dissectorum pinguedinem perscrutari mihi contigerit.

***) L. c. p. 201.

inter laryngem et pharyngem ad latus dextrum progreditur et in lobum glandulae thyreoideae dextrum distribuitur. Arteria haec inter laryngem et pharyngem ramos binos emittit qui ante pharyngem aliquantulum descendunt. Arteria carotis communis sinistra deinde arteriam laryngeam exilem, pauloque post arteriam carotidem internam in arteriam carotidem cerebralem arteriamque occipitalem bifidam, arteria carotis communis dextra simul arteriam laryngeam exilem, carotidemque cerebralem edit. Quibus emissis ramis arteria carotis communis dextra simul in arteriam occipitalem truncosque binos aequae fortis, anteriorem et posteriorem, sinistra in truncum anteriorem et posteriorem finditur. Arteria occipitalis in latere quoque arteriam marginalem auri internam edit; truncus anterior in arteriam maxillarem externam arteriamque lingualem, posterior in arteriam temporalem et maxillarem internam finditur.

In animale secundo ex arteria carotide communi in parte media utriusque colli lateris arteria thyreoidea inferior ut ab Ottone *) descripta est oritur et in ramum anteriorem et posteriorem dividitur. Arteria thyreoidea superior loco solito e carotide communi utriusque lateris prodit. Arteria carotis communis deinde in utroque latere sequente ordine ramum emittit laryngeum exilem, arteriam carotidem cerebralem, et in latere sinistro deinde in arteriam occipitalem, truncum anteriorem et posteriorem finditur. In latere dextro verum arteria occipitalis paulo ante truncorum binorum originem e carotide prodit. Trunci ut in animale primo dividuntur.

In animale tertio arteria thyreoidea inferior dextra omnino deest, sinistra infra colli partem mediam, arteria thyreoidea superior sinistra loco solito, dextra sinistra duplo major paulo infra locum solitum oritur. Arteria laryngea dextra cum arteria carotide interna simul, sinistra paulo ante carotidem cerebralem oritur. Arteria carotis interna dextra in arteriam occipitalem arteriamque carotidem cerebralem finditur. Arteria carotis communis dextra deinde simul emittit arteriam temporalem arteriamque lingualem, pauloque post in arteriam maxillarem externam et internam finditur. Arteria carotis com-

*) De animalium quorundam per hyemem dormientium vasis cephalicis et aure interna. In Nov. Act. Physic. Med. Acad. Caes. Leopold. Carol. Natur. Curiosor. Tom. XIII. 1826. p. 67.

munis sinistra edita arteria carotide cerebrale simul emittit arteriam occipitalem et lingualem, deinde arteriam temporalem, tandemque in arteriam maxillarem externam et internam dividitur. Arteria maxillaris interna in quoque latere arteria maxillari externa major apparet, eamque ob rem trunci continuatio haberi potest.

In animale quarto arteriae thyreoideae inferiores omnino desunt, superiores solito aliquantulum fortiores apparent, laryngeae paulo ante carotides cerebrales oriuntur. Edita arteria carotide cerebrale arteria carotis communis dextra in arteriam occipitalem, truncum anteriorem et posteriorem, sinistra in truncum tantum anteriorem et posteriorem finditur. In latere dextro truncus anterior in arteriam maxillarem externam et lingualem, posterior in arteriam temporalem et maxillarem internam dividitur. In latere sinistro e trunco posteriore arteria occipitalis etiam prodit; caeterum trunci hic ut in latere dextro dividuntur.

In animale quinto arteriae thyreoideae inferiores nullae, superiores loco solito, laryngeae paulo ante carotides internas oriuntur. Arteria carotis interna cum dextra tum sinistra in arteriam carotidem cerebralem et occipitalem finditur. Carotis deinde communis utraque arteriam emittit lingualem et temporalem, tandemque in arteriam maxillarem externam, et, internam externam aliquantulum majorem, finditur.

In animale sexto arteriae thyreoideae inferiores nullae, superiores valde fortes loco solito oriuntur. Paulo post arteriam thyreoideam superiorem e carotide communi dextra arteriola prodit in ramum anteriorem et posteriorem bifida, quorum posterior infra musculum sternomastoideum recurrit, ramoque exili e carotidis communis initio orto jungitur. Arteriae laryngeae paulo ante arterias carotides internas in carotides cerebrales arteriasque occipitales bifidas proveniunt. Arteria carotis communis dextra et sinistra emissa arteria carotide interna, arteriam edit lingualem, temporalem, tandemque in arteriam maxillarem externam et internam finditur.

In animale septimo arteria carotis communis sinistra in inferiore colli parte arteriam emittit thyreoideam inferiorem valde magnam quae ad finem inferiorem lobi glandulae thyreoideae sinistri decurrit, ibique distribuitur; arteria thyreoidea superior sinistra loco solito quidem oritur, sed tenuissima ap-

paret; arteria laryngea sinistra paulo ante arteriam carotidem internam oritur lobique sinistri glandulae thyreoideae partem superiorem etiam adit. Arteria thyreoidea inferior dextra deest, superior fortissima editis ramis ad lobum glandulae thyreoideae dextrum, inter laryngem et pharyngem ad latus sinistrum pervenit, et in lobo glandulae thyreoideae sinistro finitur; arteria laryngea dextra debilis apparet. Arteria carotis interna utriusque lateris in arteriam carotidem cerebralem arteriamque occipitalem finditur. Arteria carotis communis sinistra emissa arteria carotide interna, arteriam simul edit lingualem et temporalem, tandemque in arteriam maxillarem externam et internam secedit. Arteria carotis communis dextra in truncum anteriorem et posteriorem, anterior in arteriam lingualem et maxillarem externam, posterior in arteriam temporalem et maxillarem internam finditur.

De decursu ulteriore ramorum carotidum communium cuniculi haec notanda sunt. Arteria carotis cerebialis ut ab Ottone*) descriptum est ad cerebrum tendit. Arteriae callosae non ramo communicante transverso junguntur, sed ut in lepore in truncum simplicem coalescunt. Arteria maxillaris externa arteriam emittit ad glandulam submaxillarem, et ante marginem anteriorem musculi masseteris ad faciem pervenit ubi arteriam coronariam labii inferioris, angularem oris, ramosque nasales emittit, et in arteriam coronariam labii superioris continuatur. Arteria temporalis arteriam emittit auricularem posteriorem, ramos parotideos, temporales, arteriam auricularem anteriorem et transversam faciei. Arteria auricularis anterior a parte inferiore et externa ad partem anteriorem et internam meatus auditorii externi adscendit et in cutim distribuitur. Arteriae transversae faciei continuatio valde fortis in musculi masseteris substantiam penetrat. — Arterias superficiei posterioris auris in cuniculi primi latere dextro, in cuniculi quarti, quinti, sexti, septimique latere utroque investigavi. In animalis primi latere dextro, quintique latere sinistro arteria marginalis interna auris ex arteria occipitali, in caeterorum auribus arteria haec ex arteria auriculari posteriore prodit. Arteriae auricularis posterioris continuatio arteria marginali interna auris major, in fine inferiore superficiei posterioris auris ramum per foramen conchae auris ad hujus superficiem internam edit, deinde in medietate fere superficiei posterioris conchae auris

*) L. c.

adscendit pauloque infra apicem auris ramum emittit, qui arcuate ad marginem auris externum tendit, et prope eum arteriam marginalem externam exhibens, descendit donec surculo tenuissimo in parte inferiore superficiei posterioris auris evanescit. Arteriam hanc marginalem externam cera quidem implere haud contigit mihi; in animale tamen viro leucotico distincte arteriam per cutim pelluentem oriri, et decurre, re vidi. Quousque arteria marginalis interna auris adscendat certe dicere nequeo, cum semper ejus initium tantum cera implere mihi contigerit.

Arteria brachialis cuniculi ut in lepore in arteriam radialem, radialis in arcum arteriosum volarem sublimem continuatur. Arcus etiam profundus adest eodem ac in lepore modo constitutus; arcum tamen medium huc usque videre mihi non contigit.

Ex aorta thoracica more solito proveniunt arteriae intercostales, ex aorta abdominali sequente ordine arteria coeliaca, mesenterica anterior, arteriae renales, spermaticae internae, uterinae, arteria mesenterica posterior, arteria sacra media, arteriaeque lumbares.

Arteria coeliaca animalium trium tantum cera impleta, in animalibus caeteris ventriculi ruptura facta est. In animalibus duobus arteria coeliaca mesenterica anteriore minor, sequente ordine edit arteriam gastroepiploicam sinistram arteriae lienali hominis analogam, truncum communem arteriarum sinistrarum superficierum ventriculi, arteriam coronariam ventriculi sinistram, et deinde in arteriam hepaticam et gastroduodenalem finditur.

Arteria gastroepiploica sinistra ad fundum ventriculi tendens ramos nonnullos pancreaticos minores, lienales tres in hilum lienalem penetrantes, arterias breves ventriculi emittit, deinde ad arcum ventriculi majorem pervenit, arteriaeque gastroepiploicae dextrae jungitur.

Truncus communis arteriarum sinistrarum superficierum ventriculi in arteriam superficiei anterioris et posterioris sinistram finditur, quae prope cardiae latus sinistrum ad superficies veniunt, in iis descendunt et distribuuntur, ita ut rami majores arcui ventriculi majori adversi sint. Arteria coronaria ventriculi sinistra in arcu ventriculi minore ad latus dextrum decurrit, primum ramum ad superficiem ventriculi anteriorem, ramum deinde ad superficiem posteriorem, et denique ramos duos ad superficiem anteriorem totidemque ad

posteriorem edit. Arteria coronaria ventriculi sinistra itaque ramos tres ad utramque ventriculi superficiem edit, quorum medius in strictura partem ventriculi dextram et sinistram separante jacet. Arteria gastroduodenalis ramos emittit pancreaticos, arteriam pyloricam, tandemque in arteriam pancreaticoduodenalem et gastroepiploicam dextram dividitur. In animale tertio cujus arteria coeliaca cera impleta est, arteria haec emissa arteria coronaria ventriculi sinistra, primum ramum edit hepaticum sinistrum, deinde dextrum, et in arteriam gastroduodenalem tandem continuatur. Arteria coronaria ventriculi sinistra ad arcum ventriculi minorem tendit, et in arteriam superficiei posterioris et anterioris dextram finditur, quae in stricturis ventriculi decurrunt. Arteria anterior ramum etiam in arcu minore ad pylorum, aliumque in arcu minore ad cardiam decurrentem edit.

Arteria mesenterica anterior primum emittit ramum duodenalem arteriae pancreaticoduodenali junctum, ramum deinde ad eam intestini coli partem quae in intestinum rectum transit, ramosque nonnullos (duos ad quatuor) mesaraicos ad anteriorem intestini jejuni partem, et in arterias binas aequae magnas deinde finditur, quarum altera arterias multas mesaraicas (duodecim ad tredecim) intestino tenui impertit, altera arteria colica sequente ordine edit ramum unum ramosve duos ad posteriorem intestini coli partem stricturis jam destitutam, ramum magnum ad intestini coli partem stricturas praebentem, arteriam coecalem parvam et magnam, tandemque ad intestini coli initium pervenit, ubi ramos plurimos emittit, quorum majores tres distingui possunt. Ramus primus ad finem intestini ilei, secundus ad initium intestini coli, tertius ad initium intestini coeci decurrit. Ramus quisque ramo sibi occurrenti junctus arcum constituit. Arteria coecalis minor ad apicem intestini coeci stricturis jam destitutum pervenit; arteria coecalis magna trientibus binis prioribus intestini coeci sanguinem advehit, propeque intestinum coecum ad ejus initium decurrit, ubi ramo jam descripto jungitur.

Arteria coecalis magna, ramusque partis intestini coli stricturas praebentis ad superficiem quamque intestini coeci colique tot edunt arteriolas quot in iis observantur stricturae.

Arteriam mesentericam anteriorem modo descripto in cuniculis quatuor decurrere vidi; in cuniculo quinto arteria coecalis minor ex arteria coecali majore prodit.

Arteria renalis dextra lineas duas vel tres ante arteriam renalem sinistram oritur et oblique a parte posteriore ad partem anteriorem decurrens hilum renalem attingit; arteria renalis sinistra oblique a parte anteriore ad partem posteriorem decurrit. Arteria renalis utraque antequam renem attingit ramum emittit in arteriam suprarenalem arteriamque muscularem abdominis anteriorem musculorum obliquorum musculique transversi parti anteriori destinatae finditur.

Arteria mesenterica posterior exilis ad intestinum rectum descendit.

Infra vertebam lumbarem quamque ex aortae abdominalis superficie superiore truncus arteriosus brevis oritur in arteriam lumbarem dextram et sinistram bifidus. Arteria lumbaris ultima dextra et sinistra ex initio arteriae sacrae mediae provenit.

Arteria iliaca in arteriam hypogastricam, arteriamque cruralem hypogastrica fortiolem dividitur. Arteria cruralis in media fere femoris parte in arteriam popliteam, arteriamque tibialem posteriorem prope genu latus internum descendente dividitur.

Arteria musculocutanea posterior non eodem semper loco oritur; in cuniculo primo arteria haec sinistra lineae uius, dextra linearum trium distantia ab aortae fine posteriore ex arteria iliaca, in cuniculo secundo sinistra etiam aortae propior quam dextra ex arteria iliaca oritur. In cuniculi quarti quintique latere sinistro arteria haec ex arteria iliaca paulo ante hujus divisionem in arteriam cruralem et hypogastricam, in eorum latere dextro ipso divisionis loco oritur, in cuniculo denique tertio arteria haec cum dextra tum sinistra ex arteriae cruralis initio, sinistra tamen prius quam dextra oritur. Arteria haec eodem modo ac in Lepore timido decurrere videtur.

Arterias musculocutaneas abdominales posteriores in cuniculo uno tantum, attamen ejus latere utroque cera implere mihi contigit. Ibi verum non ut in lepore ex arteria spermatica externa, sed in parte superiore femoris ex arteria crurali prodit, et ad partem anteriorem reflectitur.

§. 3.

Arterias Caviae cobayae ter cera nuper implevi. In cavia tamen tertia truncos majores tantum persequi mihi contigit. Animalia haec formationes alio loco *) a me descriptas omnes fere confirmarunt, nonnullas tamen etiam novas obtulerunt. Arteriarum carotidum cerebralium ex arteriis ophthalmicis ortum, earum introitum per foramina optica in cranii cavum juncturamque ramo transverso foraminibus opticis interposito, circuli Willisii formam, rete mirabile in canale lacrymali situm, arteriarum spermaticarum internarum radices duplices **) alteram arteriae renalis, alteram aortae abdominalis ramos eodem omnino modo ac olim inveni. Arteriae renales animalis unius duplices, anteriores binae totidemque posteriores adsunt. Arteriae thyreoideae animalis unius tantum cera scatent; thyreoideae inferiores hic nullae adsunt; thyreoidea superior sinistra valde fortis, dextra tenuissima vix animadverti potest. Arteria thyreoidea superior sinistra emissis ramis ad partem glandulae thyreoideae sinistram, ante laryngem ad partem dimidiam dextram glandulae tendit, et in ea distribuitur.

Arteriam coeliacam et mesentericam anteriorem non ut olim truncis duobus separatis sed trunco simplice fortissimo inter crura diaphragmatis prodire vidi. ***) Truncus hicce primum emissis ramo in arteriam gastrolienalem et coronariam ventriculi sinistram bifido, arteriaque deinde hepatica in arteriam mesentericam anteriorem continuatur.

Arteria gastrolienalis in arteriam lienalem et gastroepiploicam sinistram dividitur. Arteria gastroepiploica sinistra in arcu ventriculi majore a fundo ventriculi ad pylorum decurrit. Arteria coronaria ventriculi sinistra emissio ramo in arteriam superficiei ventriculi anteriorem et posteriorem sinistram bifido, ad arcum ventriculi minorem pervenit, ibique a latere sinistro ad latus dextrum decurrit. Arteriae superficierum ventriculi sinistrae prope cardiaae latus sinistrum ad superficies ventriculi perveniunt, ibi aliquantulum descendunt, lateri

*) Disquisitiones circa originem etc.

**) Animalia haec omnia gravida fuerunt.

***) In caviis tribus aliis cera non impletis eodem modo arteriam hanc oriri vidi.

deinde dextro advertuntur, mediumque fere inter superficierum medietatem arcumque minorem ventriculi tenentes ad pylorum decurrunt. Ita arteriarum harum decursus in animale altero apparet, in altero arteria coronaria ventriculi sinistra in parte media arcus minoris arteriam etiam superficiei anterioris et posterioris dextram edit quae ramo arteriae superficiei cujusque sinistrae jungitur. Arteria gastrolienalis ramos lienales tres edit et deinde in arteriam pancreaticam et gastroepiploicam sinistram finditur. Arteria pancreatica in pancreatis substantia ab hujus inde cauda ad caput tendit. Arteriam hepaticam huc usque in specimine nullo cera bene implere mihi contigit.

Arteria mesenterica anterior arteriae coeliacae continuatio in animale altero arteriam simul emittit duodenalem colicamque postremam, ramos deinde mesaraicos ad intestinum tenue sex, simulque cum ramorum horum secundo arteriam colicam magnam, cumque ramo quinto arteriam coecalem minorem; quibus emissis arteria mesenterica anterior in ramos binos alterum fini intestini tenuis, alterum intestino coeco destinatum s. arteriam coecalem magnam dividitur. Arteria colica magna in ramum posteriorem s. minorem partem intestini coli stricturis destitutam adeuntem, ramumque anteriorem parti intestini coli stricturis praeditae sanguinem advehentem finditur. Ramus posterior cum arteria colica infima, anterior cum ramo arteriae coecalis magnae arcum constituit. Arteria coecalis minor in ramos binos dividitur, quorum alter ad apicem usque intestini coeci decurrit, alter cum ramo arteriae coecalis magnae arcum constituit. Arteria coecalis magna prope intestinum coecum ad ejus initium decurrit ibique ramo arteriae colicae magnae jungitur. Ramus arteriae mesentericae anterioris fini intestini tenuis destinatus arterias mesaraicas tres emittit. In cavia secunda arteria mesenterica anterior ante divisionem in ramos binos majores, ramos tantum edit mesaraicos quinque; arteria coecalis minor propria deest, ejusque loco rami nonnulli ex arteria coecali magna oriuntur.

§. 4.

Arterias Muris decumani in animalibus tribus cera nuper implevi. Arteria mesenterica anterior in omnibus simul cum arteria renali dextra, deinde arteria renalis sinistra, arteriae spermaticae internae, arteriae musculares abdominis posteriores ex aorta prodeunt. Arteria mesenterica posterior in omni-

bus simul cum arteriis iliacis ex aortae fine oritur. Arteria coeliaca tripartita haec obtulit. Ejus ramus primus arteria lienalis in ramum superiorem minorem, et inferiorem majorem dividitur. Ramus superior in arterias binas iterum dividitur, quarum altera in partem superiorem hili lienalis penetrat, altera ad finem extremum fundi ventriculi pervenit ibique ramos ad superficiem anteriorem et posteriorem ventriculi emittit, qui cum arteriis superficialium communicant. Ramus inferior arteriae lienalis ramos complures edit in partem inferiorem hili lienales intrantes, et deinde in ramum epiploicum continuatur qui a latere sinistro ad latus dextrum decurrens in omento majore distribuitur.

Arteria coronaria ventriculi sinistra ramum emittit tenuissimum ad latus sinistrum cardiae meantem, et deinde ramos tres, arterias superficialium ventriculi, arteriamque minorem in arcu ventriculi minore ad pylorum usque decurrentem finditur. Arteriae superficialium ventriculi, (anterior et posterior) fortes prope latus cardiae dextrum ad superficies ventriculi perveniunt ibique ramos multos ad latus dextrum et sinistrum distribuunt, ramisque descendentibus in arcu ventriculi majore inter se junguntur.

Ramus tertius arteriae coeliacae in ramos binos arteriam hepaticam arteriamque gastroduodenalem finditur. Arteria haec illa fortior ramos edit pancreaticos, et deinde in arteriam pancreaticoduodenalem et gastroepiploicam dextram finditur. Arteria pancreaticoduodenalis cum ramo arteriae mesentericae anterioris arcum constituit; arteria gastroepiploica dextra ad pylorum tendit, ramos ibi nonnullos ad utramque ventriculi superficiem cum ramis arteriarum superficialium communicantes emittit, et deinde in arteriam epiploicam dextram continuatur. Arcus arteriosus in arcu ventriculi majore nullus adest.

Arteria mesenterica anterior simul emittit arteriam duodenalem arteriamque colicam postremam, ramos mesaraicos deinde ad intestinum tenue septemdecim ad octodecim, simul cum ramo mesaraico quinto vel sexto arteriam colicam anteriorem, tandemque in ramos binos aequae fortes finditur, quorum alter in ramos mesaraicos nonnullos finem intestini ilei adeuntes abit, alter in arteriam colicam anteriorem arteriamque coecalem dividitur. Arteria coecalis colica anteriore fortior, ab initio intestini coeci ad ejus apicem usque decurrit.

Arterias cutaneas trunci in animalibus duobus melius quam olim investigare mihi contigit. Arteriae intercostales ramos perforantes complures magnosque emittunt, quorum postremus arteria intercostalis ultimae ramus in arteriam musculocutaneam trunci anteriorem superiorem continuatur.

Arteria muscularis abdominis posterior non ut olim a me descriptum est in abdominis musculis, finitur, sed emissio ramo musculari in arteriam musculocutaneam posteriorem continuatur, quae pone ligamenti Poupartii partem externam ad femoris partem externam pervenit, ibi ramos cutaneos multos arteriae musculocutaneae posteriori laterali partim junctos edit, tandemque in arteriam musculocutaneam posteriorem superiorem continuatur. Arteriae hujus rami cum ramis arteriae musculocutaneae anterioris superioris communicant, et ita arcum arteriosum dorsalem formant.

Rami illius arteriae cruralis partis quae ante ligamentum Poupartii jacet in animalibus duobus cera bene impleti sunt; in altero femineo eodem omnino modo ut jam a me descriptum est, in altero masculo modo aliquantulum diverso oriuntur et decurrunt. Arteriam tamen spermaticam externam, arteriam pudendam internam, arteriamque uterinam melius quam antehac vidi. Arteria spermatica externa non tantum cuti mammaeque inguinali ramos impertit, sed ejus continuatio in mare aequae ac femina in glandula prope penis *) orificium posita finitur. Arteriam pudendam internam in arteriam dorsalem penis continuari vidi. Arteria vesicalis in animale femineo ramus apparet arteriae uterinae quae prope tubam Fallopii ad diaphragma usque decurrit, in animale masculo e ramo oritur in arteriam vesicalem, arteriam prostaticam, feminalemque divisam.

Arteria cruralis in animale masculo antequam ad femoris partem anteriorem pervenit in utroque latere arterias emittit sex:

- 1) arteriam hypogastricae indicium,
- 2) arteriam pudendam internam,
- 3) arteriam in ramum vesicalem, prostaticum et seminalem divisam,
- 4) arteriam circumflexam femoris internam,

*) Clitoris Muris decumani penem verum urethra perforatum exhibet.

5) arteriam epigastricam,

6) arteriam in circumflexam ilei spermaticamque externam divisam.

Arteria cruralis eo loco ubi in arteriam tibialem posteriorem arteriamque popliteam finditur, ramum emittit ad partem anteriorem reflexum, sub cute decurrentem, et in arteriam muscularem abdominis posteriorem lateralem et inferiorem bifidum; arteriae hae cum arteriis iisdem anterioribus arcus constituunt.

§. 5.

Arteriae Canis familiaris ubera lactantia neonatis praebentis nuper a me cera impletae, arteriam musculocutaneam anteriorem inferiorem antehac frustra a me quaesitam mihi ostenderunt. Arteria haec hic non ut in mammalibus nonnullis aliis e trunco arteriae subclaviae oritur, sed arteriae mammae internae continuatio valde fortis pone cartilaginem costae nonae e cavo thoracis egreditur, deinde sub cute abdominis ad partem posteriorem decurrit et nisi fallor cum arteriae spermaticae externae ramo ad partem anteriorem reflexo hic etiam valde forti arcum constituit.

Juncturam tamen arteriarum harum cera non impletam ob animalis pinguedinem non vidi. Arteriae hae mammis abdominalibus sanguinem advehunt.

C a p u t II.

C o r o l l a r i a.

§. 1.

Meckelius *) varietates originis arteriarum thyreoidearum inferiorum in genere humano occurrentes eam ob rem magni momenti aestimat, quia varios gradus unius formationum seriei exhibent, quae ad defectum totum arteriarum thyreoidearum inferiorum, earumque cum arteriis thyreoideis superioribus coalitum in mammalibus plerisque normalem transitum parat. Varios hujus transi-

*) Handbuch der pathologischen Anatomie. Bd. 2. Abthlg. 1. p. 113.

tus gradus in mammalibus adesse alio loco probavi. *) Quae de arteriis thyreoideis cuniculi supra attuli vario respectu memorabilia sunt.

1) Arteriae thyreoideae inferiores in cuniculis saepius deesse quam adesse videntur, ut earum defectus norma, earum praesentia varietas haberi possit.

2) Si deest arteria thyreoidea inferior, superior ejusdem lateris plerumque quidem, ast non semper ejus vicibus fungitur; in animale enim primo arteria thyreoidea superior sinistra sanguinem omnem glandulae thyreoideae adduxit, quae formatio non solum memoratu digna est, quia organon quod in genere humano arterias quatuor, hic tantum arteriam singulam contra symetriae leges ortam recipit, sed etiam quia arteria haec inter laryngem et pharyngem a latere altero ad alterum tendit. Decursus hicce tamen in cuniculis haud adeo ramus esse videtur, cum in animale septimo similis fere appareat. Animal hocce etiam ostendit, arterias complures vicinas simul arteriae thyreoideae superioris vicibus fungi posse.

Arteria carotis cerebialis cuniculi semper ramus tantum carotidis communis apparet, qui ramos caeteros arteriam scilicet lingualem, maxillarem externam, internam, et temporalem fortitudine non superat. Eodem tamen arteria carotis cerebialis quantum huc usque vidi loco semper oritur.

Arteriae occipitalis cuniculi origo non semper eadem; oritur enim:

- 1) ex arteria carotide interna,
- 2) ex arteria carotide communi,
- 3) e trunco posteriore arteriae carotidis communis bifidae.

Formatio prima et secunda formatione tertia saepius occurrunt.

Arteria carotis communis cuniculi vario modo finitur.

- 1) in arterias tres, occipitalem, truncum anteriorem et posteriorem,
- 2) in truncum tantum anteriorem et posteriorem,
- 3) emissa arteria linguali arteriaque temporali, in arteriam maxillarem externam et internam finditur. Maxillaris interna in hac formatione maxillari externa fortior arteriae carotidis continuatio apparet.

Arteriae superficiei posterioris auris cuniculi duplice respectu memorabiles sunt.

*) Disquisitiones circa originem et decursum arteriarum mammalium, p. 73. 74.

1) Quia arteria marginalis interna interdum arteriae occipitalis, interdum arteriae auricularis posterioris ramus apparet.

2) Quia arteria marginalis externa non ut in Lepore timido trunci arteriae auricularis posterioris ramus in superficie posteriore auris adscendit tandemque arteriae mediae juncta arcum constituit, sed hujus ramus paulo infra auris apicem ad marginem externum decurrit, et descendens in superficie auris posteriore finitur.

Arteriarum carotidum cerebralium Caviae cobayae ex arteriis ophthalmicis ortum earumque in cranii cavum per foramina optica introitum, olim pro varietate a me habitum non dubito nunc cum disquisitiones saepius repetitae idem semper mihi obtulissent pro norma habere.

§. 2.

Arteriae aortae abdominalis Caviae cobayae, Murisque decumani truncos majores alio modo nunc ac olim a me ortos et decurrentes fuisse visos, e descriptione arteriarum harum supra exposita patuit. Non dubito formationes nunc descriptas normales, antehac a me exhibitas varietates fuisse.

Origo arteriae coeliacae mesentericaeque anterioris Caviae cobayae non solum ob earum in truncum simplicem coalitum verum etiam eam ab rem memorabilis apparet, quia arteria mesenterica anterior hic arteriae coeliacae continuatio habenda est.

Arteriarum renalium Muris decumani origo asymmetrica ad formationem in cuniculis descriptam magis evolutam transitum parat.

Arteriae organorum chylopoeticorum cum organorum quibus sanguinem advehunt volumine et forma, non volumen solum verum etiam originis et decursus modum mutant.

Arteria hepatica et lienalis in hominibus arteriis gastricis majores apparent. In ove et haud dubie etiam in animalibus ruminantibus caeteris res omnino mutata est.

Arteriae gastricae hominis mammaliumque complurium majores curvaturis ventriculi appositae, arcus arteriosos constitunt e quibus rami ad superficies

tendunt; in Mure decumano arcus curvaturae minoris leve tantum indicium adest, arcus curvaturae majoris sive gastroepiploicus omnino evanuit; in Cavia cobaya arcus curvaturarum arteriis superficierum majores, in cuniculo arteriae superficierum arcubus curvaturarum majores, in ove denique formationes diversae simul observantur. Arteriae ingluviei reticulique in superficieribus, arteriae centipellionis abomasique majores prope margines decurrunt. Arteriarum superficierum decursus nisi fallor divisionem ventriculi in cava compluria indicat. Arteriarum superficierum sinistrarum in Mure decumano levissimum tantum apparet indicium; arteriae superficierum sinistrae cuniculi admodum magnae sunt, nulla tamen hic ventriculi strictura, in ove verum hoc loco stricturae magnae partes ingluviei separantes observantur, arteriamque ingluviei anteriorem et posteriorem recipiunt. Arteriae superficierum ventriculi dextrae in cuniculo aut ipsae in strictura ventriculi partem dextram et sinistram separante decurrunt, aut saltem ramum emittunt in ea descendentem. Meckelius*) quidem nuper contendit in Leporibus ventriculum omnino simplicem esse; Leporis timidi ventriculum non investigavi, Rudolphi**) tamen disquisitiones Meckelio contrariae sunt. Ventriculum cuniculorum juvenum saepe, adultorum bis inquisivi. In adultis stricturam magnam in juvenibus levem tantum a parte fere media curvaturae ventriculi minoris incipientem offendi. Varias hic forsitan evolutionis periodi adsunt, unde diversae auctorum descriptiones.

Arteriae intestini coeci colique ex arteria mesenterica anteriore oriundae sensim augentur, cum quoniam intestinum coecum augetur, tum quoniam arteria mesenterica posterior minuitur. Ad formationem in cuniculis descriptam, ubi arteria mesenterica anterior in ramos binos majores finditur, arteriae hujus finis in Mure decumano Caviaque cobaya quodmodo transitum parant.

*) System der vergleichenden Anatomie. 4r Thl. Halle. 1829. p. 630.

**) Schwed. Annalen. Bd. I. Hft. 2. p. 133. Confer. Cuvier, Vorlesungen über vergleichende Anatomie übersetzt von Meckel. 3r Thl. p. 390. Annotat. Meckelii.



Quae de arteriis cutaneis trunci Canis familiaris, Muris decumani, Leporisque cuniculi supra attuli, sententiam in disquisitionibus circa originem et decursum arteriarum mammalium a me prolatam, fore ut variae adhuc originis et decursus arteriarum harum formationes inveniantur, confirmaverunt.

Arteria musculocutanea trunci anterior inferior Canis familiaris, anterior superior Muris decumani eam ob rem memorabiles sunt quia e cavo thoracis prodeunt, arteria musculocutanea posterior lateralis Muris decumani quia e ramo arteriae cruralis in eam, arteriamque musculocutaneam posteriorem inferiorem bifido prodit, arteria musculocutanea posterior inferior cuniculi quia non ut in Lepore timido arteriae spermaticae externae, sed arteriae cruralis ramus apparet.

T H E S E S.

1. Arteriarum pulsus non nisi ventriculorum cordis contractionibus, sanguinisque motu producitur.
 2. Venae cum contractione et expansione, tum vibratione pulsan.
 3. Sanguis venosus cessantibus ventriculi cordis sinistri contractionibus atrium cordis dextrum adire pergit.
 4. Retia mirabilia arteriarum vim organorum augent et imminuunt.
 5. Lien hepatis magis quam ventriculo inservit.
 6. Aves animalia sunt hermaphroditica.
 7. Pecten oculi avium motu omni non caret.
 8. Subligatio arteriae anonymae est bona operatio.
 9. In extirpatione testis subligatio funiculi spermatici totius subligationi arteriae spermaticae internae solitariae praeferenda est.
-